

Decimus sextus

litate eorum quæ transferuntur euenit cælo inuidente: alias solo repugnate. Fastidio balsamum alibi nasci natura quæ in syria noluit fere. Nec non & palmam nasci ubique: aut natam parere uel cum promissit etiam ostendit: ea educare: quæ tanquam inuita peperit. Non habet uires frutex cinami in syria uicina perueniendi. Non ferunt amomi nardique deliciae ne in arabia quidem ex india naue perueniri. Tentauit enim Seleucus rex. Illud maxime mirum ipsas arbores plerumque exorari ut uiuant atque transmigrent. Aliquando & a solo impetrari ut alienas alant: aduenasque nutriat: cælum nullo modo quit flecti. Viuit in italia piperis arbor. Casia uero etiam in septentrionali plaga. Vixit & in lydia thuris. Sed unde sorbentes succum omnem ex iis soles coquentesque lachrymam. Illud proxime mirum mutari naturam in iisdem locis: atque iprouiso ualere. Cædrum æstuosis partibus dederat: & in licis frigidisque montibus nascitur. Frigus inimicum lauro fecerat: sed in olympo copiosior nulla est. Circa bosphorum cimerim in panticapeo urbe omni modo laborauit. Mithridates rex & cæteri in colæ: Sacrorum certe cælarum myrtumque habere: & non contigit: cum habundent arbores ibi punice ficique. Iam mali & pyri laudatissime. Frigiditas natura eodem tractu non genuit arbores: pinum. abietem: piceam. Et quid attinet ad pontum abire. Iuxta romam ipsam castaneæ cerasique ægre proueniunt: Persica in tusculano. Nec non nuces græce cum tedio inseruntur. Teracina siluis scatur earum.

De cupresso & quæ ex terra noua aliqua sæpe nascatur quæ in ea ante non fuerunt Cap. xxxiiii.

Cupressus aduena & difficillime nascetur fuit: ut de qua uerbosius sapiusque quam de omnibus aliis perdidit Cato. Natu morosa: fructu superuacua: baccis torua: folio amara: odore uolentia ac ne umbra quidem gratiosa: materie rara: ut pene fruticosi generis. Diti facta: & ideo funebri signo ad domos posita. Fœmina sterilis diu. Metæ demum aspectu non repudiata distinguitur tantum pinorum ordinibus. Nunc uero tonsilis facta in desitate parietum: coercitaque gracilitate perpetuo tenet. Trahiturque etiam in picturas ope historiali uenatus classesue & imagines rerum tenui folio breuique & uiriditate superuestiens. Duo genera earum. Metæ in fastigium conuoluta: quæ & fœmina appellatur. Mas spargit extra se ramos: deputaturque & accipit uitam. Vtraque autem imittitur in perticas afferre uel amputatione ramorum qui. xiii. ann. denariis singulis ueneunt. Quæstuosissima in satus ratione silua. Vulgoque dicitur filiarum antiqui platania appellabatur. Huic patria insula creta: quæ cato tarantinam eam appellat. Credo quod primum eo uenerit. Et in. Enaria succisa regerminat. Sed in creta quocumque loco terram mouerit quæspanis ferat alia: hæc gignitur: pinusque emigrat. Illa uero etiam non appellato solo ac sponte: maximeque in idæis montibus & quos albos uocant: summisque iugis: ubi nives nunquam absunt plurima. Quod miretur alibi non nisi in tepore ueniens & nutrice magnopere fastidies. Nec terræ tantum natura circa has refert: aut perpetua cæli: uere & quædam temporaria uis hymbrii. Aliquæ plerumque semina afferunt: & certo fluunt genere. Aliquæ etiam incognito quod accidit cyrenacæ regioni: cum primum ibi lasserpitium natum est ut in herbatum natura dicemus. Natam est & silua urbi rei proxima hymbre pyceo crassoque circiter urbis romæ anno quadringentesimo tricesimo.

De hedera.

Cap. xxxv.

Hedera iam dicitur in asia nasci. Negauerat Theophrastus: nec in india nisi in monte mero. Qui & Harpalum omni modo laborasse ut sereret eam in medis frustra. Alexandrum uero ob raritatem ira coronato exercitu uictorem ex india redisse exemplo liberi patris. Cuius dei & nunc adornat thyrsos galeasque etiam ac scuta in thraciæ populis in solenibus sacris. Inimica arbor satis omnibus: sepulchraque ac muros rumpens: Serpentiū frigori gratissima: ut mirum sit illam in honore ullo habitam. Duo genera eius. Prima ut reliquarum, mas & fœmina. Maior traditur mas corpore: & folio duriore ac pinguiore: & flore ad purpuram accedere. Vtriusque autem flos similis est rosæ siluestri: nisi quod caret odore. Species horum generum tres. Est enim candida & nigra hedera: tertiaque quæ uocatur helix. Etiamnum hæc species diuiduntur in alias: quoniam est alia fructu ratam candida: alia & folio. Fructumque candidum ferentium aliis densus acinus & grandior racemis in orbem circūactis: qui uocantur corymbi. item silenitium cuius est minor acinus sparsior racemus. Simili modo in nigra. Alicui & semine nigrum: aliis crocatum: Cuius coronis poetæ utuntur foliis minus nigris: quæ quidam nigram alii bacchicam uocant: maximis inter nigras corymbis. Quidam apud græcos etiam duo genera huius faciunt. A colore acinorum erythranum & chrysofocarpum. plurimas autem habet differentias helix: quam folio maxime distat. Parua sunt & angulosa concinioraque: cum reliquorum genera simplicia sint. Distat & longitudine internodiorum: præcipue tamen sterilitate: quoniam fructum non gignit. quidam hoc ætatis esse non generis existimant: primoque esse helicem putant fieri hederam uetustate. Horum error manifestus intelligitur: quoniam helicis plura genera reperiuntur: sed tria maxime insignia herbacea ac uites quæ plurima est. Altera candido folio. Tertia uersicolor: quæ thracia uocatur. Etiamnum herbaceæ tenuiora folia: in ordinem digesta: densioraque in alio genere diuersa omnia. Et in uersicolori alia tenuioribus foliis ac similiter ordinatis densioribusque in altera neglecta omnia hæc. Maiora quoque ac minora sunt folia: macularumque habitu distant. Et in candidis alia sunt candidiora. adolescit in longitudinem maxime herbacea. arbores autem necat candida: omnemque succum auferendo tanta crassitudine auget: ut ipsa arbor fiat. Signa eius folio maxima atque latissima: mamas erigendis: quæ sunt cæteris inflexa. Racemi sunt

q iii

corymbis
Theoph.

q iii